


LVNÆ DIE 12 M. DECEMBERIS A. 2011

Pridie Idus Decembres a. MMXI

165

# M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA  
AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ  
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

REDACTRATRIX  
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.  
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / glicoppe@skynet.be / <http://web.me.com/fundatiomelissa>  
Bureau de dépôt : 4210 Burdinne – n° d’agrément P912128



## IVXTA VIAM EGNATIAM (II) (16-23 IX 2011)

- *scripsit Francisca Deraedt* -

**H**eraclea Lyncestis, a Philippo II, Alexandri Magni patre, condita, olim florens sed saeculo quinto et sexto primum a barbaris direpta, postea terrae motu deleta, hodie non est magna area archaeologica, visu tamen digna imprimis quia illic non peregrinamus delectationis causa sed ut res videamus, postea propter pulchra opera musiva, quae in basilicis inventa sunt. In theatro, inter alia rudera, iacet ornamentum quod ad scenam olim pertinuit; id nobis ostendens mystagogus Macedo, maxime serius, explicat esse machinam automaticam, qua tesseræ aditus, inserta pecunia, antiquitus distribuebantur...

Inde vicinam urbem *Bitola*, *Monastir* Othonorum tempore vocatam, petimus. Rædarius, cum deversorium nostrum in media urbe situm non statim inveniat, duas puellulas interrogat mire vestitas colore rubro et flavo, ad imaginem vexilli Macedonii, facie similiter rubro flavoque fuco illita. Urbem penetramus bullientem: tot enim homines numquam usquam vidi eisdem coloribus vestitos, ante thermopoliorum televisoria ingentiave scrinia conglutinatos, unum ingenitatemque clamorem identidem profundentes. Vehiculum sistere mox cogitur, et nos, qui proditores videamur vestimentis parum patriis induiti, viam nobis haud facile aperimus ad deversorii ianuam, turba impeditam. Agitur autem de re maximi momenti, certamen dico ludi canistrarii, quo Macedonia Russiae hodie opponitur. Facere non possum quin cogitem fore noctem agitatam, si Macedones evadant victores... At subito finitur concitatio atque omnes, tam silentes quam antea fuerunt clamorosi, discedunt decepti, ut nobis tranquillus liceat per vias ambulare. Eo vespere totius itineris accipimus optimam cenam – id est: solam bonam.

Postero die per agros, in quibus colitur tabacum, vehimur ad Macedoniae urbem caput, *Skopje*, quæ antiquitus vocabatur Scupi. Scupi, parvus vicus tempore Philippi II, Romanorum tempore ita floruerunt ut maxima Macedoniae urbs Romana facta sit. Cuius reliquias primum lustramus. Experientia edocti, aliquem alumnum, qui effossiones ibi participat, rogamus ut nos ducat, quod libenter et satis docte facit, dum mystagogus noster inenarrabilis tandem aliquando tacet.

In ipsa urbe *Skopje* museum, cum Lunæ die sint clausa, tantum frontes lustrare possumus. Urbs, decursu tumultuosæ historiæ sære deleta, adhuc tamen præbet pulchros et veteres vicos, Turcica monumenta et ecclesias in quibus iconostases admiramus magnificissime ornatas, ut plerumque fit in Macedonia. Cum flumen *Vardar* transire velimus ad alteram urbis partem statuamque (iterum!) Alexandri Magni, turba



Stobi: palatum Theodosii, aut saltem ubi paulisper commoratus est.

etiam maior quam Bitolæ fuit nos impedit, moxque a publicis custodibus cum toto populo repellimur; fit enim in altera ripa concentus musicus, quo ad finem vergente recendentium turmæ caute sunt continendæ. Aufugimus non nimis tristes, alias Alexandros Magnos alibi visuri, et iter pergitus ad municipium Romanum, cui nomen fuit Stobi, et quarum parietinas invisimus duce iuvene quadam archaeologa. Tum umbrante vespera restat ut deversorium nostrum petamus, ad lacum prope urbem *Titov Veles* iucunde situm suaviterque vocatum « Hotel Romantik ». Cubiculum nostrum, maximum et nuper refectum, aspectum præbet lautissimum; sed omnia sunt fracta: dimidia pars instrumenti favonii manet in manibus, similiter boto quo ingens pyelus bullis instructus esset vacuandus, aqua continuo fluit in sella pertusa et balnei lumen, cum desit commutatrum, semper manet accensum. Hoc manifesto est exemplum corruptionis ubiqui vigentis, imprimis in re structoria.

Mane postero Macedoni mystagogo non inviti valedicimus Græciisque læti intramus thesauros inventuri, qui sunt Pella et Vergina.

## III. GRÆCIA : PELLA, VERGINA, THESSALONICA, DODONA

Cum Pellæ natus sit Alexander Magnus, nolimus mirari quod hic etiam erecta est eius effigies. In hac urbe olim magnifica, ut patet e parietinis quas nobis lustrare non licebit, etiam vixerunt summi artifices, ut Zeuxis et Euripides. Felices saltem sumus quod novum pulchrumque museum, his incertis temporibus, est apertum. Græca mystagoga est anteriore doctior, sed morosa, multoque etiam morosior cum agitur de conscendenda ræda Macedonia.

Inter agros gossypii Verginam petimus, totius itineris margaritam. Ibi rem egregie fecerunt: sicut enim

# P R E G R E



*Thessalonicae : Rotunda.*

multis aliis locis – cogito inter alia de præhistoricō antro de *Lascaux* in Francogallia –, ipsa sepulcra intrare non licet, at museum, in quo exhibentur illi thesauri, instructum est ad exactam tumulorum imaginem. Descendis ergo sub terram atque infra, in ficticio tumulo, tibi revelantur omnia mirabilia ibi inventa : inter quæ frons sepulcri quod putatur esse Philippi II, aurea vasa et diademata, ornamenta eburnea, picturæ, arma, cistæ, loricæ, vasa, statuæ.

Thessalonicae pernoctamus, in urbe frequentissima, hac ratione secunda post Athenas.

Thessalonica, cui anno 315 a.Chr.n. rex Cassander nomen dedit uxoris, inter longam historiam suam sæpe est expugnata, capta, liberata, direpta, transformata, deleta, restructa, expilata, profanata, ut in urbe toties refecta haud multa conspiciantur antiquitatis vestigia. Videmus forum iuxta deversorium nostrum, mausoleum Galerii « rotundam » vocatum, Turcorum Turrem Albam, in vetere vico parvam ecclesiam quarti decimi sæculi cuius picturæ animum tangunt et, ad litus maris, statuam... Alexandri Magni.

Ante quam effigiem iniucunda oritur disputatio de nova Macedoniæ republica. Sciebamus quidem aliquam interesse contentionem inter Græciam et Macedoniam, sed oculis rotundis mystagogæ spectamus faciem odio plenam, cum narrat istam civitatem, « cuius nomen non pronuntiabo », sive « ex-republicam Iugoslavicam » nihil aliud appetere nisi Thessalonicam eoque contendere, ut eius portu divitiisque potiatur, simulque civium domibus. Tamquam si res huiusmodi evenire posset, nostris temporibus, in Europa ! Tantam acerbitatē re vera non intellegimus, sed subito intellegimus cur eadem mulier in urbe, et solum in urbe, ubi habitat et agnoscit possit, noluerit sedem occupare sibi reservatam iuxta Macedonem nostrum rædarium, cur etiam iuxta viam aliquis in rædam pugnum impegerit. O genus humanum...



*Dodona : area sacra.*

Relicta Thessalonica, mystagoga pudore mirum in modum liberata sedem iterum occupat iuxta rædarium « ex-Iugoslavicum », quem unus nostrum iocose dicit non Macedonice loqui, sed Fyromice.<sup>1</sup> Tendimus nunc ad rem litibus altiore : Dodonam dico, antiquissimum sanctuarium Iovis Dodonæi, ab Homero iam illo tempore celebratum, ubi oracula edebantur fremitu quercus foliorum. Etsi nobilis quercus, ut patet, non iam est conspicuus, tamen eo loco audire nobis vide-mur vocem divinam : tam magicus est locus, re vera extra mundum positus. Mystagoga narrat differentiam inter Dodonæum et Delphicum oraculum in eo esse, quod Delphi pertineant ad quæstiones politicas urbesque condendas, Dodona ad simplices homines : inter tessellas inventas, satis multas, exemplum esse, ut unum proferamus, viri deum rogantis num liberi re vera sint sui.

#### IV. ITERUM ALBANIA : BUTHROTUM, DYRRACHIUM

Postea paululum ambulamus in urbe Ioannina, ad lacus ripam iucunde sita, unde, relicta Græca mystagoga, redimus in Albaniam ad cuius limitem nos iam exspectat idem affabilis vir, qui nos in ea regione initio duxit. Via incredibiliter montuosa petimus urbem *Sarandë*, ubi pernoctaturi sumus. Vertigine capta malo historias auscultare, quas mystagogus de sua civitate narrat, quam per fenestram prospicere. Sic audio, sine risu, populum Albanicum originem trahere a rege Cadmo. Nomen monetæ nationalis, quæ vocatur *lek*, deductum esse e *Leka i Madh*, quo Albanice designatur... Alexander Magnus. Consociationes criminales ibi in tota societate humana vigere, præsertim in constructione. Et re vera iuxta viam ubique videmus imperfetas ædificationes, plerumque sine licentia incohatas, ut tota regio, ceterum pulcherrima, tristem præbeat asper-tum rei derelictæ.

Nomen *Sarandë* significat « quadraginta sanctos »,



*In sepulcro Philippi II : ornamentum eburneum.*

in honorem quadraginta martyrum, militum duodecimæ legionis, qui anno 324 Sebastæ in Armenia perierunt, fidem christianam eiurare recusantes. Deversorium nostrum situm est ad litus maris, unde conspicitur insula Corcyra.

Ecce iam pænultimus itineris nostri dies. Ad meridiem versus adimus Buthrotum, vel potius, ut cum Vergilio loquar :

*Protinus aerias Phœacum abscondimus arces  
litoraque Epiri legimus portuque subimus  
Chaonio et celsam Butbroti accedimus urbem.*<sup>2</sup>

Quæ urbs antiqua, ad lacum eiusdem nominis, pulcherrima est totius Albaniæ area archæologica. Raro fit ut effosionum lustratio simul ambulationem præbeat iucundam et arboribus umbratam, tranquillarum aquarum spectaculo venustatam. Ceterum Buthroti suavitas iam antiquos allexit : nonne Atticus Ciceronis amicus prædium in vicinia habuit ? Et multo post Iohannes Racine, sive Radix (1639-1699), *Andromachæ* scænam Buthroti posuit.

Iter iuxta lacus ripam pergentes palos videmus, in quibus mituli coluntur ; est enim lacus aquæ salsæ. Paulo longius, cum mare attigerimus, in rupe mira nobis ostenditur porta, introitus stabuli subaquaneorum navium ita instructi, ut naves ex altera parte introire potuerint, ex altera parte exire. Tantam fuisse dictatoris paranoiam, ait mystagogus, ut hostes undique exspectaret.

Narrat etiam in illis clivis, ubi nunc acervantur istæ domus innumeræ et semistrictæ, olim olivas, citros, aurantia crevisse, quæ iuvenes tempore dictaturæ plantare cogebantur. Ipsum illud tempus libenter recordari, quo finito labore apricari et natare licebat. Nunc autem omnes arbores cæsas esse ob insaniam ædificandi.

Consistimus in unica totius regionis caupona, recenti et lauta, in qua lupum marinum degustamus scapha adhuc vivum allatum a filio cauponis.



*In sepulcro Philippi II : Medusæ caput.*

Prandium tam diu protrahitur, ut tantum sub vesperam perveniamus Apolloniam, in urbem quarto sæculo omnino derelictam ideoque archæologis valde attractivam, iuxta quam nocte iam facta nobis adhuc aperitur parvum nitidumque monasterium.

Superest ut Dyrrachium petamus, magnum portum, vinculum inter Italiam et Græciā, initium Viæ Egnatiæ quæ inde recta ducebat Constantinopolin. Ultimo itineris die, lustrato museo archæologico, ad patriam avolabimus. Salvi. ☩

1. FYROM = the Former Yugoslav Republic Of Macedonia.

2. Verg. *Aen.* III, 291-293.



*Ambulatio Butbroti.*

# DE SVMMO IOANNIS BAPTISTÆ MORGAGNI OPERE, QVOD A. 1761 EDITVM EST

- *scripsit Victorius Ciarrocchi -*

**D**ucenti quinquaginta sunt anni elapsi, ex quo editum est opus *De causis et sedibus morborum per anatomen indagatis libri quinque* inscriptum (Venetiis, ex typographia Remondiniana, a. MDCLXII), quod Ioannes Baptista Morgagni pæne octogenarius composuit. Hic enim vir anno 1682 in urbe Foro Livii ortum habuerat, parentibus Fabricio et Maria Tornielli. Cui mulieri immature viduatæ cura septennis pueri educandi concredita est, qui, primo studiorum curriculo expleto, sedecim cum esset annorum Bononiam ivit illiusque in urbis universitate variis disciplinis non perfunctorie studuit, immo eas omnes – scilicet geometriam, botanicam, opticam præsertimque philosophiam ac medicinam – tam bene addidicit, ut eius doctrinam non modo coæquales, sed etiam magistri valde admirarentur antequam ipse gradum dignitatemque medici anno 1701 meritus est.

Praeterea Morgagnus,<sup>1</sup> cui affabilis erat indoles et prompta ingenii acies, omnium fere doctorum animos sibi devinxit et præsertim Antonii Mariæ Valsalva (1666-1723), qui summis illius ætatis anatomicis est adnumerandus et, cum Ioannis ardorem et eruditionem statim animadvertisset, in tractatu *De aure humana* componendo grataanter illius iuvenis auxilio usus est. Accedit quod Antonium veluti discipulum maximo ingenio præditum existimaverat Marcellus Malpighi (1628-1694), qui novam de corpore humano investigando methodum proposuerat a Galilei præceptis haud alienam. Quare in scriptis medicis a Malpighi, Valsalva, Morgagno compositis eadem inesse videtur ratio, qua primus Galileus in rerum naturæ secretis investigandis usus est. Quare de « coniunctione quadam ‘methodica’ Morgagnum inter et Galileum » non immerito scribit Aloisius Belloni.<sup>2</sup>

Ex ipso enim Ioannis opere *Adversaria anatomica prima* inscripto, quod anno 1706 e prelis exitit, quam penitus hic iuvenis multa observaverit ipsaque diligenter explanare contenderit omnes viri docti admirabundi agnoverunt. Nam hoc opere, quod tres in partes dispergitur, multa Morgagnus explicat, quæ antea vel doctos quoque medicos fugerant vel anatomici recentiores inconsulte neglegebant. Accurate igitur describit, ut pauca exempla adferantur, glandulas arytænidæas ; uvulas et musculos pharyngeos ; carunculam lacrimalem ; penis ligamentum suspensorium ; quasdam glandulas sebaceas, quæ v. g. nymphis, palpebris, mammarum areolis continentur.

Postquam triennio in urbe patria commoratus erat ibique in ægrotis curandis diligentissime se gesserat, Venetias et Patavium se contulit et his in urbibus eius fama adeo aucta est, ut ab illius Civitatis senatoribus

ad theoricam medicinæ partem in universitate Patavina tradendam sit vocatus. Die 17 Mart. a. 1712 primum cathedram concendit Morgagnus et, maxima doctorum hominum frequentia, luculentam orationem Latinam habuit *De nova institutionum medicarum idea*, scilicet de nova in morbis investigandis ratione instituenda, quoniam sibi persuasum erat nullam tutiorem semitam inveniri posse ad retegendarum cuiuslibet morbi sedem ac naturam, quam mortuorum sectionem, modo videlicet dotibus quibusdam sit prosector instructus atque rei anatomicæ non mediocriter peritus. Parvi faciebat Morgagnus eas disputationes magis philosophiam quam medicinam redolentes, quibus nonnulli vel docti medici indulgebant ac mirabatur quomodo fieret ut, cum iam pridem medicina ab aliis doctrinis separata esset, nihilominus aliqui medici abstrusiora principia sequi pergerent.

Paucis post annis alia *Adversaria* ipse edidit novis locupletata inventis anatomicis. Quo autem opere controversiæ continentur, quibus ansam dederat præsertim Ioannes Baptista de Blanchis (1681-1761), anatomicæ in universitate Taurinensi professor, qui, ut non-nullas observationes anatomicas fulciret, nimiam fidem operi *Theatrum anatomicum* inscripto tribuerat et quædam inventa a Morgagno primum explanata pæne spreverat. Quamvis hoc *Theatrum*, quod Ioannes Iacobus Manget (1652-1742), vir Genavensis composuerat, aliquius sit notæ, ipsum tamen « magis existimatum est, quam revera laudibus dignum etiamtunc fuerit, quoniam, sicut opus Theophili Boneti (1620-1689), quod *Sepulchretum sive anatomia practica* inscribitur, ex aliorum doctorum libris ac desultoriis observationibus collectum est ».<sup>3</sup> Mirum igitur non est quod Morgagnus, vel contra sui ipsius indolem agens, vehementer medicum Taurinensem et virum Helvetium redarguerit eorumque neglegentiam dicacule ludificaverit.<sup>4</sup>

Eodem anno, quo in universitate Patavina docere is cœpit, uxorem duxit Paulam Vergeri, quæ undecim duodecimve liberos peperit, sed eorum multi parentibus non supervixerunt. Concorditer hi coniuges vitam degerunt etsi postremis annis Paulam dementia senili correptam dolenter sed firmo animo sustinuit Ioannes.

Qui in cadaveribus secundis atque in multis observationibus colligendis indesinenter perrexit. Itaque annis 1740 et 1741 aliud opus edendum curavit, duo in volumina dispergitum, cui titulus : *Epistulæ anatomicæ duodeviginti ad scripta pertinentes celeberrimi viri Antonii Mariæ Valsalva*. Quanam ratione Morgagnus etiam his in epistulis consribendis usus sit et quanti anatomiciam is fecerit, etiam eius verba demonstrant hæc : « Et quoniam in tota re anatomica multa esse ani-

madverti, in quibus natura variet, ut recte aliter tradi nequeant nisi istas ipsas varietates commemorando, propterea consuevi, in quo cadaveribus ad unum modum et in quo item ad alium invenerim, significare : ut lectores existimare per se queant quid, secundum meas quidem observationes, rarius, quid frequentius, quid perpetuum haberri possit [...] Hac igitur via, siquid ego iudico, ab iis insistendum est qui in anatomicis studiis ‘utilitatem iuvandi’, ut maioris Plinii (*Præfat. Ad Natur. Hist.*) verbis utar, ‘præferre’ malint ‘gratiæ placendi’.<sup>5</sup>

Erat enim huic viro persuasum eas corporis nocivas affectiones, quæ ex aliquo morbo semper originem ducunt, neque intellegi neque ipsis proficua remedia medicamentaque præstari posse, nisi antea cuiusvis morbi causa et sedes per cadaveris sectionem detegetur, quamquam haud pauci medici vel eximii, sicut Thomas Sydenham (1624-1689), Britannus, et Georgius Ernestus Stahl (1659-1734), Germanus, « nullam cadaveris inspectioni utilitatem tribuebant ».<sup>6</sup>

Omnino aliter censebat Morgagnus, qui iam adulescens artem cadaverum secandorum didicerat atque in ipsa exercenda magister fuit. Et anno 1761 opus, cuius est supra mentio facta, summum absque dubio in medicinæ historia, in lucem prodiit, quinque in libros dispertitum, qui dicati sunt eis Academiis, quarum socius ipse iam pridem factus erat, earumque medicis excultioribus. Operis conspectus : 1) De morbis capitis. 2) De morbis thoracis. 3) De morbis ventris. 4) De morbis ad totum corpus pertinentibus et chirurgice tractandis. 5) De morbis, quorum tractatio in prioribus libris deerat. Hoc opere septuaginta epistulæ continentur, quibus primum ea symptomata et signa describuntur, quæ medicus in ægroti hominis corpore invenerit ; deinde, mortuo ægroti eiusque cadavere secato, eæ mortui hominis partes, quæ anatomicæ et physiologice cum ipso morbo rationaliter iungi possint, investigantur.

Saltem unum huius methodi exemplum referre oportet. Sribit Morgagnus : « Mulier rusticana, non multo maior annis viginti quinque, alba, pallidaque facie, cum ante quattuor nupsisset menses, ad tres uterum iam ferebat, cum ob febriculam quandam erraticam in nosocomium Patavinum excepta est, in quo mensem aut eo amplius decubuit [...] Itaque, ut dixi, cubabat, sed in latus dexterum ; in quod etiam cubans mortua est. Ventrem intra horæ dimidium a matris obitu hactenus aperuerunt, ut proles, si viveret, sacra ablui aqua posset ; quod et feliciter peractum est. Infans enim, utero, membranisque suis caute incisis, continuo se quasi exeruit manusque movit, nec nisi una post matrem hora mortuus est. Eo exempto, ute-

rum cum adhærente placenta et membranis et corpus reliquum maternum, uno excepto capite, diligenter postea nos persecuimus eodem et insequentibus diebus ante Kalendas Decembris a. 1724 [...] Thorace patefacto, ecce id quod causam præbuit et tum quæ prægressa essent, omnia diligentius inquirendi et hic, ut fecimus, scribendi [...] Denique in utroque cordis ventriculo erant polyposæ concretiones quasi ex muco quodam ; in sinistro tamen paulo densiores ».<sup>7</sup>

Longum est alia depromere, quæ lectu ac scitu semper digna sunt. Ceterum cum eadem ratione, quam Morgagnus in opere *De sedibus...* inscripto adhibuit, congruunt eæ *Consultationes medicæ* (a. 1935 exiguo in exemplarium numero editæ), quas plerumque Italice scriptas ipse ad alios medicos miserat. Non desunt autem quædam Latine exaratæ eædemque optimo genere scribendi compositæ. In huius enim libri procœmio (p. XVI) Henricus Benassi cum alia tum scribit hæc : « Ioannem Baptistam Morgagni non modo summum anatomicum, verum etiam adeo virum doctum fuisse inter omnes constat, ut eius vestigia plerique medici non sine magno ipsorum et rei medicæ emolumento persequi sint adnisi ».

De femina igitur prænobili Monacensi, quæ tussi chronica hypocondriaca laborabat, Morgagnus scribit hæc : « Agrypnia ista pertinacissima sive eandem, ut verisimile est, causam habeat, quam æque pertinax tussis, sive effectus sit tussis, noctu potissimum vexantis, tolli non poterit, nisi hæc tollatur. Primum igitur quærendum est unde ista sit tussis. Ne longum faciam, mihi quidem ex toto et tam variis tussium generibus, ad nullam magis videtur ista referri posse quam ad eam quæ hypocondriaca nuncupatur [...] Confirmat iuvenilis ætas prænobilis Matronæ, et proclivitas ad metum, et tot tamque gravia quæ passa est infortunia, et compressa vehemens ira, et prægressus defectus aliquis menstruorum. Huc manifestiora adde, obnoxiam fuisse flatulentis affectionibus, tremori cordis, hæmorrhoidibus cæcis, aliisque eiusmodi [...] Quin abs te qui ades, et cui prænobilis Matronæ pleraque multo sunt magis quam mihi perspecta, maiorem in modum peto, ut siqua ex his quæ attigi convenire videoas, iis utaris ; sin minus, quasi non scripta essent, omittas » (Patavii, m. Apr. 1749).

E quibus verbis facile intellegitur quam prudens fuerit Morgagnus, quippe qui in universum paulo cunctatior quam audentior existimari maluerit. Atque in altera consultatione « pro iuvene ozæna laborante » leguntur hæc : « Egregio iuveni intra nasi caveas ulcus latere, cum dolor et eorum quæ emunguntur copia, odor, color, admixtusque interdum cruar significant, tum chirurgi confirmat inspectio. Cuiusmodi malo ‘vix

posse succurri' Celsus scripsit : quanto igitur minus et inveterato, et altius fortasse incipienti. Veri enim simile est vehementi illo equini calcis ictu, cuius adhuc in sinistra frontis parte spectantur vestigia, universo osse concusso subiectum Sinum Pituitarium, cum naso communicantem, vitium olim contraxisse, et in membrana illius parietes convertente primam ulceris originem inde in narium caveam se propagantis extitis [...] Alii essentia, ut vocatur, balsamica quæ Stahlium auctorem habet, aut ovorum oleo in plumbeo mortariolo antea peragitato novissime utuntur, qui et eo inunctam turundam adhibent, ut diutius ulceri medicamentum adhæreat » (Patavii, m. Iul. 1736. 'Turundæ' appellabantur ea specilla quæ, unguentis medicamentosis illita, in fistulas aliasque in corporis cavitates immitti solebant).<sup>8</sup>

Sed non omnes viri docti et artis medicæ periti opus, cui titulus *De sedibus...*, omnino probarunt. Nam Iosephus Lieutaud (1703-1780), in aula regum Aloisii XV et Aloisii XVI medicus insignis, de Foroliviensi viro scripsit hæc : « Præterea, ignoscat clarissimus auctor [scil. 'Morgagnus'], historiis amplioribus quam par esset prolixiora adiecit scholia, ut nihil addam de variis observationibus sanorum cadavera respicientibus, non secus ac de multis corpora morbosa spectantibus, in quibus plane desideratur historia morbi ».<sup>9</sup>

At istiusmodi censoriis adnotationibus, quæ fortasse quadam ex invidia oriebantur (nihil mirum : « figuræ figulo invidet », aliquo loco legitur), permultæ laudes obici possunt, quibus dignum existimarunt Morgagnum plerique viri docti, qui eum ex. gr. « incomparabilem » ac « sapientissimum » dixerunt (sicut scripsit Iosephus Mingoni)<sup>10</sup> ac « patrem pathologiae modernæ » appellavit Rudolfus Virchow.

Fuit Morgagno, qui stomachi doloribus correptus die 5 Dec. 1771 e vita decessit, procera statura, vultus comis, cœrulei oculi, capillus flavus, ut etiam e nonnullis de hoc viro picturis conicitur. Quarum autem nullam veridicam esse putavit Dominicus Cotugno (1736-1822), postquam m. Apr. 1765 Morgagnum convenit. Hic, quoniam suam ipsius figuram etiam alii homines parum recte in tabulis pictam esse adnotaverant, Dominico respondit ferme hoc : « Picturam habeo cum essem annorum quinque et triginta, hæc aliquam veri partem est assecuta, et adhuc etsi senis, quodammodo assequitur ».

Adeo Morgagnus linguam Græcam et Latinam callebat, ut hanc etiam in ipso epistularum commercio adhibuerit cum doctis viris habito. In epistolio, quod Francisco Maria Zanotti (1692-1777) misit, leguntur hæc : « Francisco Mariae Zanotto Io. Baptista Morgagnus S. P. D. Quem tuos nondum vidisse hendiçasyllabos nuper scripseram, vidi novissime Mudatius, et cum Lazarino ita probavit ut eas, quas cum his nostris accipies, et litteras, et elegiam ad te mittendas dederit. Cum ad ipsum rescribes, iis in fronte litterarum uti verbis poteris, quæ adscribam [...] Hæc

stans scripsi eo ipso temporis puncto, quo tabellarius navem solvebat. Patavii. Idib. Ian. MDCCXIII ».<sup>11</sup>

Alia nec pauca opera conscripsit hic summus vir ad res varias pertinentia ; quæ omnia sunt etiam ob nitidi sermonis perspicuitatem memoratu digna. Plerumque Cornelium Celsum imitatus est, minime tamen aliis Romanis et Latinis et recentioribus scriptoribus neglectis, quorum operibus aliquid utile contineretur et ad corporis partes morbosque melius describendos, et ad argumenta medica minus insuavia reddenda.

Morgagnus igitur est audiendus, cum in operis illius præfatione scribat et hæc : « Dedi operam, quantum potui, ne abstrusis et arduis, sed obviis planisque, neque singularibus, sed fere communibus uterer explicandi rationibus, fere, inquam, communibus eo tempore, quo scribere incepi ». Itaque Latina lingua, quam vir ille Foroliviensis adhibuit, est emendatior ac perspicua minimeque flosculis rhetoris fucata ; breviter : semper « eximie viva »,<sup>12</sup> ut verbis utar Gaii Licoppe, qui medicinam non sine laude exercuit et præclarus est Latinæ linguæ cultor ac propugnator. Huic igitur viro, qui sedecim lustra nuper feliciter explevit, hanc de Morgagno eiusque summo opere symbolam gratulabundus dedico. ☩

1. Hoc enim nomen gentilicium nonnullis impressum legitur in nomismatisbus, quæ ad huius viri memoriam honestandam cusa sunt (Cfr Duilii Donati symbolam c. t. « Nomismata Ioannem Baptistam Morgagni repræsentantia », in : *Commentarii historiæ medicinæ dicati*, Ian. Dec. 2009, pp. 23-62 ; Bononiæ, Dec. 2009).

2. Hac de re mentionem fecit Aloisius Belloni in libro c. t. *Pro medicinæ historia*, apud Forni, Bononiæ, a. 1980. Pp. 239-246, quæ paginæ ad « Opera Ioannis Baptiste Morgagni » pertinent.

3. Adalberti Pazzini *Historia artis medicæ*, Minerva medica, Romæ, 1974 ; vol. II, pp. 970-971.

4. Qua de controversia fusius refert David Giordano in libro c. t. *Morgagni*, Utet, Taurini, 1941, pp. 36-48, et passim.

5. *Op. laud.*, in præfatione prioris voluminis, & 11 et 12.

6. Hæc scribit Marius Di Gregorio in symbola Ioanni Baptiste Morgagni dicata, quæ in *Lexico Biographico historiæ medicinæ* edita est, apud Ricci, Mediolani, a. 1988 ; vol. III, p. 145.

7. *De sedibus et causis...*, L. II ; *Epistula anatomico-medica XVI* : « Agitur de respiratione læsa a causis intra thoracem et primum ab huius aut pericardii hydrope » ; e cap. 38.

8. Titulus Italicus : *Consulti medici*, Cappelli, Bononiæ, 1935. Consultationes, quarum nonnulli loci supra relati sunt, in pp. 165-168 et in pp. 263-265 leguntur.

9. Iosephi Lieutaud *Historia anatomico-medica*, Parisiis, 1767, p. XII.

10. Iosephi Mingoni *Historia medica thermarum Patavinarum*, Patavii, MDCCCLXXV, pp. 78, 81, 218, 234.

11. *Epistularum commercium, quod Ioannem Bapt. Morgagni inter et Franciscum M. Zanotti habitum est*, apud Zanichelli, Bononiæ, MDCCCLXXV, p. 541.

12. Gaius Licoppe scripsit : « lingua medicina est lingua eximie viva », in symbola c. t. « De pristina atque hodierna lingua medicina » ; cfr *Symposium Latinitatis Humanisticum*, Saraviponti, 1988 ; p. 45.

## FABVLA NATALICIA

- auctore *Vidone de Maupassant*, interprete *Francisca Deraedt* -

**D**octor<sup>1</sup> Bonenfant memoriam agitabat, submissa voce dictitans : « Recordatio Natalicia ?... Recordatio Natalicia ?... »

Et repente clamavit :

– Certe mihi est, et quidem valde mira ; est historia inaudita. Miraculum vidi ! Ita est, dominæ, miraculum, nocte Natalicia.

Me miramini sic loquentem, qui vix credam in ullam rem. Et tamen miraculum vidi ! Vidi, inquam, vidi, propriis oculis vidi, re vera vidi.

Num stupuerim ? Non ita ; nam etsi nihil tribuo vestris persuasionibus, multum tribuo fidei, quam scio montes transportare. Multa proferre possum exempla ; at vos offendere, et insuper periculum esset ne minueretur pondus historie meæ.

Primum fateor me rebus visis, quamquam neque multum sum confisus neque conversus, saltem valde esse commotum, ac rem conabor vobis ingenue narrare, tamquam si mihi esset fides Arverna.<sup>2</sup>

Eram tum temporis medicus ruri, habitabamque vicum *Rolleville*, media in Normannia.

Hiems, illo anno, fuit terribilis. Iam exeunte mense Novembri nives advenerunt post frigus unius septimanæ. Crassæ nubes procul conspiciebantur, e septentrionibus allatæ ; et candidus floccorum descensus incohatus est.

Una nocte tota planities cooperta est.

Villæ rusticæ, quadratis aulis seclusæ, pone vela magnarum arborum pruinosa, obdormiscere videbantur sub strue huius densæ levisque sumpmæ.

Nullus sonus iam transibat rus immotum. Soli corvi longa serta in cælo gregatim describebant, victim frustra quærantes, omnes una devolantes in agros lividos nivemque magnis rostris suis fodientes.

Nihil audiebatur nisi vagus perpetuusque lapsus huius pulveris continuo cadentis.

Sic factum est per octo dies integros ; dein labina constituit. Terram tegebat pallium quinque pedes crassum.

Et per tres septimanas postea, cælum sudum, sicut crystallum cœruleum interdiu, noctu autem totum sparsum stellis quas pruina putavisses factas – tam asperum erat vastum spatium –, se pandit in plano, duro nitidoque nivium manteli.

Planities, sæpes, sæptorum ulmi, omnia videbantur mortua, frigore necata. Neque homines, neque bestiæ iam exibant : soli camini candidatarum domorum vitam revelabant celatam, tenuibus fumi filis quæ sursum in aere gelido recta ferebantur.

Interdum arbores audiebas concrepantes, tamquam si eorum membra lignea sub cortice frangerentur ; ac,

nonnumquam, magnus ramus seiungebatur et decidebat, nam invictum frigus sucum faciebat lapideum fibrasque rumpebat.

Habitationes hic illic sparsæ per agros videbantur aliæ ab aliis centum leucis distare. Homines vivebant ut poterant. Solus conabar ægros visitare saltem proximos, periculum etiam atque etiam suscipiens ne in aliqua lacuna manerem sepultus.

Mox animadverti mirum terrorem impendere regioni. Tanta calamitas, aiebant, naturalis non erat. Contendebant voces noctu audiri, sibilos acutos, clamores fugaces.

Qui clamores et sibili procul dubio edebantur a migrantibus avibus, quæ iter crepusculo facere solent, et conferti fugiebant ad meridiem. Sed conare homines territos ad sanam rationem adducere. Pavor mentes invadebat et exspectabatur casus extraordinarius.

Fabrica patris Vatinel sita erat in extremo viculo *Epivent*, iuxta viam tunc absconditam desertamque. Cum autem homines pane carerent, faber vicum petere decrevit. Paucas horas colloquendo mansit in sex dominis, quibus constat media regio, panem accepit et nuntios et paululum huius timoris campo diffusi.

Ac se in viam dedit ante noctem.

Repente, cum sæpem quandam præteriret, sibi vide-re visus est ovum in nive ; sane, ovum ibi depositum, totum candidum ut reliquo mundus. Oculos demisit : erat ovum, re vera. Unde ortum erat ? Quæ gallina exire potuerat e gallinario ovumque hoc loco ponere ? Faber miratus est, non intellexit ; ovum tamen sumpsit uxoriique reportavit.

– Cape, domina, ecce ovum in via inventum !

Mulier caput quassavit :

– Ovum in via ? Hac tempestate ? Ebrius es, nonne ?

– Non sum, domina. Erat sub aliqua sæpe, et quidem adhuc calidum, non gelatum. Ecce rem, posui contra ventrem ne frigesceret. Id edes ad cenam.

Ovum insertum est in ollam ubi ius coquebatur, et faber ea narrare incepit quæ circum circa dicebantur.

Mulier auscultabat pallida.

– Certe sibilos præterita nocte audivi ; insuper oriri videbantur e camino.

Ad mensam consederunt, ius primum ederunt, dein, dum maritus butyrum illinit pani, mulier ovum cepit spectavitque oculo suspiciose.

– Et si in hoc ovo insit aliquid ?

– Quid vis insit ?

– Qui scio, ego ?

– Age, ede, ne stulta sis.

Ea ovum aperuit. Quod erat ut omnia ova, et admo-

dum recens.

Incepit edere, hærens, gustans, reponens, resumens.  
Maritus aiebat :

– Quid tum ? Quomodo sapit istud ovum ?

Non respondit, et edere perrexit ; tum subito in maritum oculos coniecit defixos, torvos, insanos, brachia sustulit torsitque, et, a capite ad pedes convulsa, humi provoluta est, clamores edens horribiles.

Totam noctem trepidavit spasmis atrocibus, horrendis tremoribus quassata, tætris convulsionibus deformata. Faber, impotens eam tenendi, eam vincire debuit.

Atque identidem clamabat, acri voce :

– Eum in corpore habeo ! Eum in corpore habeo !

Postero die vocatus sum. Omnia lenimenta nota præscripsi, sine ullo effectu. Erat mente capta.

Tum inaudita celeritate, quamvis altæ nives essent obstaculo, nuntius, mirus nuntius de villa in villam vulgatus est : fabri uxorem esse a diabolo captam. Et

undique confluebant, domum intrare non audentes ; procul auscultabant eius horribiles clamores, voce tam plena emissos ut esse non putarentur humanæ creaturæ.

Vici parochus certior est factus. Erat vetus sacerdos credulus. Accurrit superpellicio<sup>3</sup> indutus, tamquam si moribundum esset tractaturus, ac pronuntiavit, manibus extensis, exorcismi precatio[n]es, dum quattuor viri in lecto tenent feminam spumantem et tortam.

At spiritus non est expulsus.

Venitque tempus Natalicium, immutata tempestate.

Pridie mane, sacerdos me adiit :

– Cupio, inquit, ad officium nocturnum arcessere hanc miseram. Fortasse Deus miraculum faciet pro ea, ipsa hora qua natus est a femina.

Parocho respondi :

– Tibi omnino assentior, pater. Si mens eius cærimonia commovetur (nec quicquam ad commovendum est aptius), salvari potest sine alio remedio.



Piet Volckaert (Bruxellis, 1902-1973)

Vetus sacerdos mussitavit :

– Fidem non habes, medice, sed me iuvabis,  
nonne ? Suscipisne eam adducendam ?  
Auxilium ei promisi.

Vesper venit, postea nox ; ecclesiæ campana sonare  
incepit, flebilem vocem iaciens per tristem campum, in  
nitidam glaciatamque nivium planitem.

Atri homines lente veniebant, gregatim, obedi-  
entes campanilis clamori æneo. Plena luna totum hori-  
zontem illustrabat luce fulgenti et pallida, manifesto-  
remque faciebat exsanguem agrorum solitudinem.

Quattuor viris robustis mecum assumptis, fabricam  
petivi.

Energumena adhuc ululabat, lecto alligata. Eam  
decenter vestivimus, quamquam perdite resistebat, et  
abstulimus.

Ecclesia nunc erat refertissima, illuminata et frigi-  
da ; cantores monotonas notas emittebant ; tuba mur-  
murabat ; tintinnabulum clericuli tinnibat, fidelium  
motus ordinans.

Mulierem eiusque custodes in presbyterii culina  
inclusi, et tempus exspectavi, quod opportunum  
videretur.

Elegi finem communionis. Omnes rustici, viri et  
feminæ, Deum suum acceperant ut mitigarent eius  
rigorem. Magnum silentium impendebat sacerdoti mys-  
terium divinum perficiendi.

Iussu meo, ianua est aperta ac quattuor auxiliarii  
dementem attulerunt.

Statim ac lumina conspexit, turbam genibus nixam,  
absidem igneum aureumque tabernaculum, tanto vigore  
reluctata est ut nos pæne effugerit, et clamores profu-  
dit tam acutos, ut horror formidinis ecclesiam transie-  
rit ; omnia capita erecta sunt ; nonnulli aufugerunt.

Muliebrem formam non iam præbebat, contracta et  
torta inter manus nostras, vultu distorto, oculis insanis.

Eam traximus ad absidis gradus, dein firmiter  
tenuimus humi sedentem.

Sacerdos surrexerat ; exspectabat. Simul ut eam  
vidit immobilem, manibus cepit ostensorium aureis  
radiis cinctum, candida hostia in medio posita, et, pau-  
cis gradibus progrediens, utroque brachio supra feminæ  
caput extento, id sustulit ostenditque consternatis  
dæmoniacæ oculis.

Semper ululabat, oculo fixo, tento in hanc rem  
lucentem.

Sacerdos autem tam immobilis manebat, ut eum  
haberes pro statua.

Hoc longum, longum fuit.

Mulier videbatur metu correpta, capta ; ostenso-  
rium defixis oculis contemplabatur, adhuc concussa

tremoribus horrendis, sed brevibus, et etiamnum clama-  
mans, at voce minus miserabili.

Et iterum longum fuit.

Eius oculi videbantur non iam demitti posse, hos-  
tiæ esse affixi ; nunc tantum gemebat ; eius rigidum  
corpus molliebatur, collabebatur.

Tota corona erat prostrata, fronte solum tangente.

Energumena nunc palpebras crebro demittebat, sta-  
tim autem aperiebat, tamquam si visionem Dei sui  
ferre non posset. Tacuerat. Tum subito animadverte-  
eius oculos manere clausos. Dormiebat somnambulo-  
rum somno, hypnotizata – veniam peto ! –, victa obsti-  
nata contemplatione ostensorii radiis aureis, prostrata a  
Christo victore.

Eam abstulerunt, inertem, dum sacerdos ad altare  
iterum ascendit.

Cœtus, maxime commotus, carmen *Te Deum*, gra-  
tiarum actionem, canere cœpit.

Uxor fabri quadraginta horas continuo dormivit,  
postea autem expergefacta est neque energematis neque  
liberationis ullo modo memor.

Ecce, dominæ, miraculum quod vidi.

Doctor Bonenfant tacuit, tum addidit, voce  
subirata : « Id scripto testificari non potui  
recusare. » ☩

1. Hæc fabula die 25 m. Dec. a. 1882 edita est in *Le Gaulois*, postea in collec-  
taneis *Clair de Lune*.

2. I.e. simplex et profunda.

3. Superpellicium : R. Hoven, *Lexique de la prose latine de la Renaissance*,  
Leiden - Boston, Brill, 2006, p 548 : surpris.

## DIALOGVS VARRONIS ET MERCVRII

- *scripsit Daniel Blanchard -*

MER – Ecce advenit Varro noster, qui nunquam apud nos fructum ullum vel panem emit. Quomodo te habes, qui aere puro nutriri videris ?

VAR – Optime Mercuri, nonne scis terras meas fertiles esse, atque fructibus abundare omnium generum, tu qui nonnunquam conatus es eas emere ? Quidnam ex te emam, cum familiam Cerere mea alam totam ?

– Possis autem meliora mala habere : vidi enim ea deformia raraque esse in arboribus tuis. Neque ex agris exspectantur meliores messes, ubi sunt spicæ parvæ.

Heu, miser senex ! Artem agriculturæ nescis nobilem !

– Libenter audiam de arte illa, o dolose deus.

– Ego nunc nugas non ago. Iam multis subveni agricolis, qui fecundiores segetes habere cupiebant.

– Fecundiores ? Quid sibi vult hoc ?

– Facile quæ dicam intelleges : si quis veniens ad mercatum videt homines duos, qui mala vendunt, ex utro emet ?

– Ex quovult. Sine dubio ex eo, quem proximum habet.

– Immo ex eo, qui pulcherrima, id est robustissima, rotundissima, maxima, sapidissimaque mala exponit.

– Concedo faciat.

– Si ergo saperes, omnes arbores plantasque, quæ frustra agros tuos occupant, evelleres, atque in loco earum plantares arbores huius generis, quod ipse arte divina excogitavi.

– Qua de causa ?

– Quia hæ plantæ crebriores melioresque fructus dant.

– Quomodo certus esse potes ? Ego arbores meas novi, quæ sunt omnes frugiferæ. Nonne denuo dolo quodam agricolas decipere vis ?

– In carne ipsa arboris, ut ita dicam, latet responsum. Virtutes suas ex parentibus accipiunt arbores, et vitia, sicut solet fieri apud homines. Mihi licuit eligere, quas vellem tribuere virtutes, avertereque vitia. Materiem generationis earum mutavi, ut verbo novo utar, sunt plantæ genetice mutatae.

– Heu ! Sivitne Iupiter ?

– Fortuna audentem iuvante, sivit Altitonans.

– Fertilitas autem arborum non ex solis arborum virtutibus pendet, immo ex temperie aeris, vel ex humi proprietatibus...

– Id scio. Visne nunc olivas in summo ventoso quodam monte, vel in pluviosa Hibernia colere ? Tibi genera varia olivarum vendere possum, quæ et acri frigore vigebunt.

– Servet Italia oliveta sua, Hibernis alia colere licet.

– Nonne tu ipse scripsisti, maximi momenti esse in fundo omnia genera utilium plantarum colere ?

– Dixi, nec tamen volui leges naturales lädere. Bonum agricolam oportet primum nonnulla de solo fundi inquirere, ut sciat quas plantas seminare possit...

– Senex es, et quasi solitarius ruri vivis, nec vides tur-

bam hominum, quæ in dies crescit, atque esurit. Si more tuo perrexerint homines terram colere, multi mox fame consumentur.

– Bene, si frumentum tuum vere bonum est, ibo ad vicinum meum Rufum, qui collecta segete semina venum dabit. Nonne ex te emit semina ? Sic et mihi conari licebit.

– Frustra facies, nam ego solus semina vendere possum.

– Quin ille vicinus faciet, qui frumentum colit ? Nonne segetem accipiet abundantem ?

– Accipiet certe, ut comedat, nec autem ut plantet.

– Ænigma loqueris. Nonne eadem comedimus et plan-tamus semina ?

– Minime, quia semina omnia sterilia sunt, præter ea, quæ vendo. Amplam segetem accipiet agricultor ille, sed oportebit eum denuo ex me semina emere.

– Horreo ! Emet pretio a te statuto, ut arbitror ?

– Recte dicas : ego Cereris officio fungere nolo, qui sum deus mercatorum. Gratis nihil do.

– Quid accident agricultoris, nisi bono pretio frumentum suum vendiderint ? Nonne tunc ære alieno opprimentur ? Accipiebant olim semina sua ex messibus, non ex foro !

– Opprimentur certe, sed emptis seminibus poterunt cum segetibus debita sua anno sequenti solvere.

– Suntne multi qui hoc anno plantas tuas in loco suarum posuerunt ?

– Multi sunt ! Nam omnes cupiunt meliores segetes habere, ut possint plus lucri facere.

– Nonne inde minuetur pretium frumenti vel fructuum, si numerus servorum tuorum augebitur ?

– Ego curo semina mea vendenda, non fruges istorum malorum mercatorum.

– Oportet miser Rufus redeat ad agriculturam sanam. Collecta messe in fundo meo, ei valida semina dabo. Sic ille saltem poterit evadere ex retibus tuis.

– Non tibi iam licet, nam vetera tua semina secum morbos propagant, quos eradicare volunt regentes. Legem ergo instituerunt, quæ impedit, quominus seminum veterum fiat commercium, sit publicum privatumve.

– Te suadente statuerunt, nonne ?

– Parent regentes, qui comedere cupiunt. Quid enim accideret, si semina negarem ? Quid comedent ? Nemo a me nunc dissentire potest. Imperat vere, qui nutrire vel fame comprimere populos valet.

– Heu, tu vere dolosus deus es. Sum autem ego homo liber, qui adhuc familiam recte alere valeo ; neque plantas meas pro toto auro orbis terrarum evellam, sed potius agricultoras vicinosque monebo, ne in tuas cadant insidias. Mihi nunc est quartus liber de re rustica scribendus... ☩

## RECENS DIPLOMA HONORIS CAVSA LOVANIENSE

*- quod proponit Theodericus Sacré -*

MARCVS WAER, STVDIORVM VNIVERSITATIS CATHOLICÆ LOVANIENSIS IN VRBE LOVANIENSI RECTOR,  
OMNIBVS PRÆSENTES LITTERAS INSPECTVRIS SALVTEM.

CVM EXIMIVS VIR RVTGERVS DAVID GRIFFIN, HISTORIÆ DOCTOR, PROFESSOR ORDINARIVS HISTORIARVM  
APVD STVDIORVM VNIVERSITATEM OXONIENSEM A IOHANNE HENRICO BROOKES DICTAM, SOCIVS REGIÆ  
SOCIETATIS HISTORICÆ, DISCIPLINAM HISTORICAM INSIGNITER AVXERIT RECENTIOREMQUE HISTORIAM  
ET RECENTISSIMAM EGREGIE ILLVSTRAYERIT, QVIPPE QVI, FASCISTICARVM DOCTRINARVM RATIONIBVS  
PLENIVS ATQVE PENITIVS INVESTIGATIS, PERMVLTAS MAIORIS MOMENTI LVCVBRATIONES DOCTAS DIVVL-  
GAVERIT, ET, DE EA RE VNIVERSA TRACTANS, FASCALES DOCTRINAS OPINATIONESQUE ITA EXCVSSERIT, VT  
PROPRIETATES EIVS PRINCIPALES ATQVE COMMVNES IN LVCEM PROFERRE VALVERIT, ITAQVE PERSPICVA  
EXPLICAVERIT DEFINITIONE QVID ESSET FASCISMVS ACCVRATEQUE EXPOSVERIT QVA ILLE NATVRA  
QVIBVSVE NOTIS PRÆCIPVIS SIGNARETVR, NECNON QVIBVS SESE FORMIS VARIIS AC DIVERSIS MANIFES-  
TASSET ETIAMVE MANIFESTARET, QVOMODO DEMVM CVM NOVÆ ÆTATIS RATIONIBVS EXTARET RADIC-  
ITVS CONIVNCTVS ;

CVM QVAMPLVRIMOS FONTES HISTORICOS PVBLICI FECERIT IVRIS, ITAQVE DOCTAM INVESTIGATIONEM  
VALDE PROMOVERIT ATQVE PROPAGAVERIT, FONTIBVSQVE RECLVSIS CVRAVERIT VT COMPARARI INTER SE  
POSSENT ET PERTRACTARI PERTRACTATIQVE MELIVS PERSPICI MOTVS II FASCISTICI, QVI TAM INTRA QVAM  
EXTRA EVROPAM EXITERVNT, NECNON FACTIONES EÆ FASCISMO PROPINQVÆ ADSIMILESVE, QVARVM  
SECTATORES RERVM MVTATIONIBVS FVNNDITVS PENETRANTIBVS ACRI STVDVERVNT CONTVMACIA, CVM-  
QVE INSVPER CORNELII TACITI HISTORIOGRAPHI MEMOR ‘SINE IRA ET STVDIO’ HÆC OMNIA TRADIDERIT  
ATQVE TRACTAVERIT NVLLIS OCCÆCATVS PRÆIVDICATIS OPINIONIBVS, ITAQVE VIAM STRAVERIT ET PATE-  
FECERIT IIS INEVNDAM VIRIS DOCTIS VERITATISQUE CVLTORIBVS QVI GRAVISSIMAS EIVSMODI QVÆS-  
TIONES CANDIDE ET INGENVE AGGREDI CVPERENT ET RES GESTAS MENTE ANIMOQVE PRORSVS COMPRE-  
HENDERE ;

CVM NON INTRA ANGVSTIORES DISCIPLINÆ SVÆ HISTORICÆ CANCELLOS SESE INCLVSERIT DOCTORVMVE  
REI PVBLICÆ TANTVMMODO SERVIERIT, VERVM OMNIVM HOMINVM, QVI NVNC SVNT, VTILITATI ET  
FRVCTVI SEMPER PROSPEXERIT, NON IGNARVS FASCISMI SEMINA CONDICONIBVS SOCIETATIS MODERNÆ  
INHÆRERE AC NOVÆ ÆTATIS RATIONIBVS QVIBVSDAM, CVMQVE SÆPIVS SVASERIT VT HISCE ETIAM TEM-  
PORIBVS DEXTERÆ PARTES EXTREMA QVÆQVE APPETENTES OBSERVARENTVR VIGILANTISSIME ET SOLLI-  
CITISSIME, QVONIAM HAC QVOQVE ÆTATE ORIRI QVEAT PERICVLVM NECVBI TALES FACTIONES HVMANI-  
TATEM ET POPVLARE REGIMEN GRAVI AFFICIENT DETRIMENTO,

NOS PRO POTESTATE NOBIS FACTA, SVADENTE FACVLTATE LITTERARVM ET CONCILIO ACADEMICO ADSEN-  
TIENTE, EVNDEM EXIMIVM VIRVM RVTGERVM DAVIDEM GRIFFIN  
DOCTOREM HISTORIÆ HONORIS CAVSA CREAIVIMVS ET RENVNTIAVIMVS.

CVIVS REI VT FIRMA SIT AC TESTATA FIDES, DIPLOMA HOC PVBLICVM A NOBIS VNA CVM ALTERO A REC-  
TORE PRO DISCIPLINIS HVMANIORIBVS ET DECANO FACVLTATIS LITTERARVM SVBSCRIPTVM ET VNIVERSI-  
TATIS SIGILLO CONFIRMATVM DANDVM CVRAVIMVS.

LOVANII, ANNO A PARTV VIRGINIS MMXI ANTE DIEM SEXTVM KALENDAS IVNIAS.

MARCVS WAER  
RECTOR

PHILIPPVS ABRAHAM  
ALTER A RECTORE PRO DISCIPLINIS HVMANIORIBVS

LUCAS DRAYE  
DECANVS FACVLTATIS LITTERARVM

# COLLOQVIVM CVM MONACHO QVODAM IN MONTE ATHO VIVENTI (II)

*- a Samio Jansson relatum -*

SAMIUS. Etiam simplicissime te rogem, quo nomine vocatur tuum monasterium et ubi est situm ?  
 PATER. Nomen ei est Sancti Andreæ sceta, et verbum « sceta » significat monasterium, quod alteri subiectum est, ac nostrum subiectum est monasterio Batopædio. Hoc inter maiora numeratur monasteria montis Athi. Agitur simpliciter de monasterio administrando, vivit enim ibi administratione excepta alioquin a nostra separata societas fratum altera, cuius parum intersunt res nostræ. Et apostolus Andreas certe omnibus notus est, nam fuit primus Christi discipulus, ac nosmet possidemus in sceta nostra quandam immense pretiosam rem, nempe reliquiam sanctam, quod est fragmentum ossis frontalis ex cranio Sancti Andreæ relictum. Hæc res valde mirabilis est, nam e cranio eodem iam bis millenia diffundi pergit dulcissimus odor, qui sæpe tamen variat, nam aliquando valde leviter volitat, aliis autem diebus admodum fortiter ecclesiamque totam implet. Et Mons Athus situs est in pæninsula Chalcidices limite a continente separata, nam iam mille annos in Atho monte nonnisi viri admittuntur.<sup>1</sup> Nostra sceta sita est iuxta municipium montis Athi, cui nomen est Charieis, est velut viculus tantum parvus. Sceta nostra similis dumtaxat est ac vetus Russicum monasterium, dimidio quod ruinam traxit.

SAM. Quis in præsenti dux tibi est et præceptor ac quomodo te ducit ?

PAT. Is pater Ephraim est qui etiam hanc insulam visitavit. Ille multimodis me dicit in vita quotidiana, quandocumque eum consulo in aliqua re. Et dum confitemur peccata nostra, hæc enim est vetus vitæ monasticæ traditio, ut si gravatur animus cogitationibus molestis, eas revelemus patri spirituali, qui his in rebus nobis consilia tradit. Et postquam consilia ab eo communicata multos annos audiverunt, eius discipuli cognoverunt, quid sit agendum, sæpe quidem, sed pluribus annis lapsis hoc haud parum mutatur, nam pater spiritualis vult pueros suos hunc ad finem educare, ut sensim adulti fiant. Sed vitæ communitas initio admodum intima est inter gerontem et tironem, qui nuper tantum suum exordium in monasterio vivendi cepit. Sensim pedetemptimque debet discipulus adolescere suisque ipsius pedibus stare sine gerontis tutela. Sed fundamentum vitæ monachalis est perpetua humilitas, nam studemus voluntati nostræ renuere dum aliorum voluntas id poscit, non autem idcirco ut nos ipsos sic velimus renuere, sed ut sic discamus impedire, ne cogitemus nostras animi inclinationes. Sic discimus nos ipsos velut sacrificare pro aliis ac eis plus quam nobis ipsis vitam nostram dedicare. Talia conatus est Christus nos docere, est enim modus vivendi, qui

etiam naturaliter auget preces easque altiores reddit. SAM. Quale est munus principale tuum in monasterio ? PAT. Munus mihi principale est, credo, monasterio icones depingere et secundo diaconum liturgias una cum sacerdote exsequi.

SAM. Quid ad pecuniam in Finniam iter faciundi ? Accipisne mercedem vel stipendium a monasterio ? PAT. Hahahahæ ! Minime. In monasterio talis ordo est, quo nemini pecunia est propria. Ita omnis pecunia monasterii licet ab omnibus nostrum adhiberi. Si aliquis morbo affligitur, medicum consulere debet, vel ei perspicilla comparanda sunt, dentes refici debent, vel iter aliquo facere, talibus igitur casibus petimus pecuniam a moderatore monasterii, qui pecuniam tradit ad propositum agendum. Talis mos nobis a priscis dumtaxat est traditus Christianis, qui communismum pristinum colebant. Itaque nemo nostrum depositum thesaurum in monasterio habet claustro occlusum.

Quæstum accipit monasterium arte nostra factas res, ut icones, vendendo et officiis quibusdam aliis.

SAM. Qualia miracula tibi contigerunt vel qualium testis fuisti ?

PAT. Plurimorum quotidianie testis sum, sed opinor maximum miraculum vitæ meæ est hoc, quod Deus me quoque tuetur, etiamsi ipse iuvenis stultissime vivere conatus sum, sed ita Deus curam habet de omnibus, ergo ipsum iter ad vitam monachalem est miraculum maximum.

SAM. Quomodo in monasterio obœditis a Iesu mandatae regulæ, quæ iubet, ut proprietas sit pauperibus distribuenda ?

PAT. Omnes res nostras tradidimus eo ipso die quo ingressi sumus monasterium. Ita nihil possidemus, sed monasterium sæpissime pauperibus hominibus solide adiuvat etiam pecunia, et multimodis de vita pauperum conamur curam habere, sed munus monachorum principale valde diversum quidem est, nempe non eleemosynas distribuendi, sed precando esse nexus inter Deum et homines. Nobis precari maximi momenti est et censemus maioris esse clementiæ precari pro pauperibus quam eis clementia materiali providere, quod tam pauci homines in mundo existunt precantes. Munus principale nostrum est pro toto mundo precari.

SAM. Quid dicere vis hoc verbo « possessio » dum ais monachos nihil possidere ?

PAT. Imprimis dicendum est nos ipsos non possidere nostras res. Ita Christus noluit negare hominibus ius possidendi, immo potius debemus Deo dedicare nostras res. Ergo oportet res nostras laudandos ad fines adhibeamus. Ne quidem debemus figere mentem nostram in res mundanas, sed quicunque valde dives est,

oportet opes adhibeat suas ad alios homines adiuvandos, ne lucrum sibi ipsi soli accumulet. Porro Christus per possessionem hoc intellexit, quod homines onerati sumus peccatis nostris malisque inclinationibus, quibus adhæremus sæpe. Et qui Christum sequitur, is de omnibus istis rebus decedit. Possessiones igitur onera sunt.

SAM. Sed unde oritur ius possidendi? Qua ratione aliquis usurpat possessionem rei vel pecuniæ?

PAT. Hoc ea ratione fit, qua ille mentem figit in pecuniam et hanc accipere cupit.

SAM. At sic certe non sequitur ius possidendi.

PAT. Ius possidendi idem est ac cupiditas possidendi. Verbi causa, si quis cupit sibi thensaurum avariter accumulare, tunc is easdem opes vult tenere.

SAM. Atqui volui dicere hoc, si velim nunc mihi accipere decem milia euronum, haud quidem sponte et sola cupiditate mea accipiendi mihi contingere, ut ea accipiam.

PAT. Sed fieri potest, ut aliquis habeat malas possessiones et abundantes quidem, etiamsi esset perpauper. Nam multi avari homines sunt perpauperes. Alii autem, qui sunt quam divitissimi, mentem non fixerunt in opes suas. Christi plus interest, quid absconditum sit in nostro corde, quam id, quibus condicionibus vitæ simus beati.

SAM. Itaque si aliquis est dives, estne eius causa bene approbanda, qua opes sibi accumulaverit hereditate accipiendo vel negotiis agendo mercatoriis vel usuram ab obæratis exigendo?

PAT. Ita vero, excepto quidem illo ultimo.

SAM. Quis erat Sanctus Thomas et quid fecit?

PAT. Erat unus ex apostolis duodecim, et secundum Evangelia constat, post quam Christus resurrexerit coramque apostolos exstiterit, Thomam afuisse. Eum tradunt antea dixisse « Si non video nec tango vulnera Domini, non credo. » Et de hoc Thoma agitur, uno e duodecim apostolis, qui postea divulgavit nuntios de Christo in Asia et martyr mortem obiit in India.

Creditur esse pater Christianitatis in India. Etiam hodie exstat parvum templum Sancti Thomæ in India. Eius vita maxima studia excitat, sed recordatio illius otium posceret nimis et certe plus quam habemus.

SAM. Certe brevissime illam potes consummare?

PAT. Fiat, ergo Sanctus Thomas adiit quendam regem Indiæ, qui regiam domum sibi proposuit construere, de quo certior factus est Sanctus Thomas. Hic dixit se posse quam luxuriosissimam regiam construere regi et quidem valde brevi spatio temporis, cui proposito se opes tantum requirere tantas tantasque. Ita summas divitias petivit a rege. Et rex ei tradidit divitias



*Meæ filiæ Samræ imago, a monacho iconum perito depicta.*

fidemque sic tribuit. Ergo talem fidem rex habuit Thomæ, ut ubi hic precetur, ibi etiam mirabilia fiant. Etiam populus regi dixit Thomam esse præclarum hominem cui tute tradi possent divitiae. Itaque postquam a rege divitias recepit, has pauperibus statim distribuit. Et paulo post aliquis vidit pauperem quendam urbis sub ala secum portare caput aureum a simulacro regiæ abscissum, quo facto nomen Thomæ regi detulit dicens illum hunc fallere. Thomas postquam ad regem arcessitum est dixit se huic regiam in cælo construxisse propter clementiam eius, nam quod pauperibus tradas, id tibi regiam providere æterna in vita. Hac de causa capit is damnatus Thomas martyr mortem obiit.<sup>2</sup>

SAM. Quid ad verbum « martyr », hoc significat testem in causa judiciali, nonne?

PAT. Ita vero, testem vel asseculam significat. Ita martyr est, qui Christum coram populo testificatur.

SAM. Ergo non est necesse mortem obire martyrem, nam testis potest esse etiam is qui incolmis manet.

PAT. Certe, sed multorum sæculorum decursu hæc « martyr » nunc mutata est notio, quæ significat mortuum testem. In Græca lingua est alterum verbum testis viventis, qui propter Christum laboravit et nihilo minus incolmis salvusque se expedivit, hoc est « homologistes », quod confessorem significat. Multi sancti, qui cruciatum insectationemque passi viventes crimine absoluti sunt et vocantur confessores.

Collocuti sumus cum patre de nonnullis aliis quoque rebus, sed intimioribus quidem, quocirca eas hic celo vitam privatam ei servans. Antea loci iam mense Maio colloquium habebamus philosophicum, quo durante eum rogitavi de Deo et iustitia divina.

Inter alia rogavi, num recte sit semper Dei imperiis oboediare. Et affirmavit pater, sed deinde rogavi, nonne possit Deus omnipotens etiam mala imperare. Volui enim scire, num monachi sibi optaverint ethicam divini imperii. Pater tamen perrexit monachos credere in Deum, qui rerum naturam bonam creaverit et proinde quidcumque secundum naturam factum etiam recte sit. Atqui Socrates noster iam rogavit ἀρα τὸ ὄστιν ὅτι ὄστιν ἔστιν φιλέεται ὑπὸ τῶν θεῶν, η̄ ὅτι φιλέεται ὄστιν ἔστιν.<sup>3</sup> Istuc Latine conversum tradit, num pius amatus sit a deis (quod pius est) aut sitne idem deorum gratia pius (redditus a deis). Et dixi omnipotentem Deum sic mala ut bona posse imperare, ita verbi gratia nihil obstare quin impedit, ne paedophilus quispiam scelera sua foedissima committat innocentes pueros puellasque violans, et ex eo, quod talia delicta re vera fiant, me concludere Deum innocentibus recusare tutelam suam, quod manifesto male factum videatur. Pater noluit directe respondere, sed dixit semper arcanum manere et hominibus toto absconditum, quid Deus de innocentibus velit. Nostra non interesse talia rogare, et de limbo nescioquo nihil esse divinandum, quamvis catholici sibi notionem finixerint Orci lenioris, ut melius intellegant, quid sit servatum eis, qui nondum Deum cognoverint quique nihil sceleris contra Deum commiserint. Iccirco etiamsi omnibus nostrum tradidit liberum arbitrium, ut mundus et homines essent plus quam automata mera, Deum tamen numquam voluisse, ut incipiamus philosophice inquire, qualia sint divina proposita. Itaque catholicos et protestantes esse hæreticos simili fere ratione ac musulmanos, qui nolint legere scripta vera Christiana nec humiliter credere Dei proposita iam clare nobis in Biblia Sacra tradi-

ta, quibus nihil ulterius sit addendum. Ergo orthodoxam manere solam rectam fidem, quam monachi montis Athi cupiant colere.

Quod ego ipse non sum particeps fidei neque ecclesiam visito umquam nisi in matrimonii et funeribus propinquorum, ægre non tuli hoc, quod hæretici videmur vocari nos omnes, qui fidem orthodoxam non sequimur, sed maxime, confiteor, studeo monachorum communismo ab antiquis temporibus servato. Etiam placet mihi maxime et miror etiam hoc, quod patres tantopere et quidem victoriosi pugnant contra libidinem Venereum et cupidinem carnis. Occasione data vobis scribam de quodam contrarii generis homine, qui credit lucrum nos felices reddere. Sed ut Aristoteles dixit, lucri loco potius eudæmonia debet esse finis vitæ nostræ.<sup>4</sup> ☩

1. Mons Athus refugium videtur esse virorum cupidine ardentissima laborantium, qui carnem et mulieres fugiunt ad insulam seclusam! Ut dicit Lysistrata, ὡ παγκατάπυγον θήμετερον ἄπαν γένος, οὐκ ἐτὸς ἀφ' ήμῶν εἰσιν αἱ τραγῳδίαι. Aristophanis *Lysistrata*, 138.

2. Thomas admodum imprudenter egisse videtur, cum autocratoris sit fideabusus, sed supererogatorium facinus contra regem commisit, ut pauperes adiuvaret se ipsum capitisi criminis tradens.

3. Platonis *Euthyphron*, 10a.

4. Οὐ μὴ οἰητέον γε πολλῶν καὶ μεγάλων δεήσεσθαι τὸν εύδαιμονήσουτα, εἰ μὴ ἐνδέχεται ἀνευ τῶν ἐκτὸς ἀγαθῶν μακάριον εἶναι· οὐ γὰρ ἐν τῇ ὑπερβολῇ τὸ αὔταρκες οὐδὲ η̄ πρᾶξις, δυνατὸν δέ καὶ ἄρχοντα γῆς καὶ θαλάττης πράττειν. Aristotelis *Ethica Nicomachea*, liber X, 1179a.

## QVID ALIVD EST CIVITAS QVAM MAGNVM MONASTERIVM ?

Erasmus, *Enchiridion Militis Christiani*, præf. ad P. Volz, 1518

# DE ROMANO IMPERIO ORIENTALI (XVIII)

## CALAMITOSVS EXITVS

*- scripsit Gaius Licoppe -*

**C**rucigeri, primo die quo Constantinopolin penetrant, nimis pauci sunt, quam ut tantam urbem domare possint ; itaque in urbe castra muniunt, in quæ noctu se caute recipiunt. Ad castra tuenda ædificia circa accidunt ; quod incendium tantum extenditur, ut magna urbis pars deleatur. Tunc Alexius V Murtzufus, ultimus Basileus, in Asiam Minorem clanculum confugit ad Alexium. Hic autem eum hospitem non recipit, iubetque eius oculi avellantur.


Urbs, imperatore orbata, est in dizione crucigerorum. Statim Bonifatius de Montferrat palatum Bucoleon et Balduinus de Flandria palatum Blachernarum petunt ut eorum thesauros sibi reservent ; atque expilatio incohatur, ducibus incolis Venetis, quibus urbs est bene nota. Crucigeri re vera sunt barbari, quibus despectui sunt mores magis politi ornatoresque Constantinopolitanorum vestes ; se superbe crudelissimeque gerunt ; præter rapinas fiunt sacrilegia in ecclesiis, ubi franguntur icones populo veneratissimæ ; feminæ constuprantur, etiam monachæ. Præter res pretiosas facile accessibiles exquiruntur thesauri ab incolis occultati : parietes tentantur, pavimenta sublevantur, sub arboribus effoditur. « Nemo, legitur in chronicis, post homines natos tantam prædam tam nobilem, tam pretiosam unquam vidit. » Sanctæ reliquiae etiam avide exquiruntur et sine verecundia hæreticis Græcis detrahuntur ; solum sunt translationes, aiunt crucigeri.

Uno tantum mense post exinanitam expilatamque Constantinopolin conditur Imperium Latinum. Imperator elegitur a sex electoribus Venetis et sex crucigeris. Duo sunt candidati, Bonifatius de Montferrat et Balduinus, comes Flandriæ Hanoniæque. Multis de causis Bonifatius non eligitur, præcipue quod uxorem duxit Mariam, viduam Isaac II Angeli et filiam Hungariæ regis, quocum Veneti bellum gerunt.

Die 16 mensis Mai 1204 Balduinus I magna cum pompa consecratur in ecclesia Sanctæ Sophiæ. Nolimus tamen putare Imperium Latinum simpliciter successisse Orientali Imperio ; crucigeri enim adhuc servant mentem et mores feudales, quare eorum duces Imperium inter se statim dividunt. Balduinus quartam tantum partem accipit, inclusa Constantinopoli, dum reliquum dividitur in duas æquales partes Venetis et crucigeris datas. Partes crucigerorum et Balduini quoque dividuntur in multa feuda, quorum barones inter se sæpe decertant. Ubique Græci e suis prædiis depelluntur a crucigeris, qui se barbare gerunt ; Athenis, ut exemplum afferamus, bibliotheca devastatur, libri sive comburuntur, sive in vias proiiciuntur. Latini tamen illius temporis chronicorum scriptores, Villehardouin et

Clari, solum incendia, rapinas et cædes narrant, nihil autem dicunt de crucigerorum superbia, contemptione, crudelitate, vexationibus, sacrilegiis et stupris.

Veneti autem rem publicam habent bene ordinatam nulloque modo feudalem ; eis quarta cruciata non fuit inceptum inconsultum, sed consequentia expansionis iam diu incohatae ; non solum mare Hadriaticum nunc factum est sinus Venetus, sed etiam in mari Ægeo collocant stationes navales ; insuper ampliores mansiones sibi Constantinopoli tribuunt ; etiam Sanctæ Sophiæ ecclesia potiuntur, ubi suos imponunt canonicos, qui patriarcham Venetum eligunt. Dux Henricus Dandolo, de patria sua bene meritus, sed Imperii Orientalis necator, anno 1205 fere centenarius moritur et in Sanctæ Sophiæ ecclesia sepelitur.



*In pavimento ecclesiæ Sanctæ Sophiae :  
sepulcrum Henrici Dandolo.*

Terra Sancta, quæ a crucigeris erat liberanda, non solum non est liberata, sed contra valde debilitata ; crucigeri enim in novum Imperium Latinum, cum sint nimis pauci, Syriæ crucigeros arcessunt, quibus magna prædia promittunt ; multi putant se ibi tranquilliores fore quam in Syria. Nulla tamen tranquillitate fruuntur crucigeri in suo Imperio : ubique Græci eos prælio lacessunt aut in insidias attrahunt, ita ut plures pluresque in patriam redire statuant. Eis qui manent nulla est spes auxilii ; apud Occidentales nemo eorum sortem curat.

Anno 1208 aut iam antea Theodorus I Lascaris Nicææ sollemniter coronatur, Græcorum imperator ; eius scopus est Constantinopolin recuperare. Eodem tempore in Epiro et Trapezunte principes Græci secedunt ab Imperio Latino, cuius fines magis magisque fiunt exigui. Ipse imperator Balduinus, cum Hadrianopolin oppugnat, a Bulgaris multo frequentioribus capitur ; de eo nemo postea quicquam audiet.

# HISTORIA

Propositum nostrum non est eventa diutius narrare ; satis est scire Imperium Latinum, quod vocatur, numquam fuisse verum imperium ; barones Latini undique impugnati etiam inter se decertarunt. Sic fit ut die 25 mensis Iulii a. 1261 imperator Nicæensis Michael VIII Palæologus Constantinopoli potiatur et Imperium Byzantinum restauret, imperium re vera moribundum. Numquam enim neque fines neque potentia recuperabuntur ; incohatur longum certamen pro vita usque ad finem, cum sultanus Mahumetus II Constantinopolin anno 1453 tandem expugnare valet.

Tempus est historiam fere millenariam Imperii Romani Orientalis concludendi. Anno 1204 extinguitur Antiquitas, cuius opera Constantinopoli continuo servata cultaque rapiuntur et in Occidentem inordinate transportantur aut plerumque delentur ; deletur etiam imperium, quod per multa sæcula Europæ fuit præsidio ; impetus enim imprimis Persarum, postea mahometanorum Arabum, deinde Turcorum frangere valuit, etsi saepe difficile. Nunc patet via, qua nova stirps Turcorum, Othomanorum scilicet, totam pæninsulam Balcanicam gradatim in dicionem suam ferociter rediget usque Vindobonam, quam bis obsidebit.

Certe imperatoribus Orientalibus magno detrimen-  
to fuit pertinacia, qua omnibus provinciis suam ortho-

doxiæ visionem vi imponere voluerunt ; hoc certe magni ponderis fuit in amissione Ægypti et Syriae ; impedivit etiam post schisma, ne Ecclesiæ Occidentalis et Orientalis iterum cointinentur.

Scitu dignum est Imperium Orientale extentum, splendidum potensque mansisse per totum fere duodecimum sæculum, i.e. usque ad finem regni Manuelis I Comneni (1180). Tunc debilitatum est serie impotentium noxiorumve imperatorum, ut iam compluries acciderat in longa Imperii historia ; semper tamen evenierat resurrectio.

Fatendum est Alexium I Comnenum ipsum vermem in pomum inseruisse, cum, pecunia egens, Venetos Constantinopoli mansionem habere sivit eisque emolumenta commercialia in Imperio dedit. Quo plura Veneti postea expostulabant, eo magis vacuefiebat Imperii ærarium. Duodecimo sæculo Veneti potentiores facti a vassalis in hostes mutati sunt.

Longe abest ut Occidentales Constantinopolitanis pares sint, quod spectat ad urbanitatem, administratio-  
nem et regimen ; adhuc sunt barbari, quos Byzantinæ divitiæ tantum allicitunt, ut ipsum scopum cruciatæ expeditionis obliuiscantur neque eos pudeat christianos trucidare et spoliare...



## Nuntius lectoribus periodici ‘M.A.S.’ destinatus

Genovefa Immè, diu editrix in Francogallia periodici c.t. *Memento Audere Semper*, libellum 81 eundemque ultimum hoc anno in lucem edidit. In quo ipsa scripsit hæc :

« Date veniam carissimi, quod argumentorum cooperatorumque indices non possum facere, quia fere cæca fio. Itaque, etsi paginam ‘Reposcite M.A.S.’ inscriptam edo, ut solebam, non iam erit reposcendus libellus LXXXII. Sed vos valete ! Et valeat Latinitatis vivæ amicitia ! Si quando me telephonice vocare volueritis, me lætam facietis : nam cæca fio, sed non surda ! »

A nobis petivit ut hunc tristem nuntium in his paginis divulgaremus, quod adhuc multi ad eam scribunt, cum ipsa impedita sit ne respondeat. Contra colloquia telephonica libertissime habebit.



# *In hoc fasciculo !*

- Iuxta Viam Egnatiam (II) [F. Deraedt] p. I  
De summo Ioannis Baptiste Morgagni opere [V. Ciarrocchi] p. 4  
Fabula Natalicia [G. de Maupassant - F. Deraedt] p. 7  
Dialogus Varronis et Mercurii [D. Blanchard] p. 10  
Recens diploma honoris causa Lovaniense [Th. Sacré] p. II  
Colloquium cum monacho quodam in monte Atho viventi (II) [S. Jansson] p. 12  
De Romano imperio orientali (XVIII) [G. Licoppe] p. 15*

*Imago tegumenti : sub auctoris nomine litteræ P.P.P.P. significare putantur :  
Professor Primarius Præsesque Pataviensis.*

---

## **Libri a Melissa editi, de quibus plura in sede interretiali :**

H. SIENKIEWICZ, *Anthea*

Sive fabula « Eamus ad ipsum » a Petro Angelinio versa, quam denuo edidit atque illustravit Theodericus Sacré. 20 eur.

*Navigare necesse est. Quattuordecim viatoriae narrationes veste Latina induitæ.* Miscellanea Gaio Licoppe dicata edidit Francisca Licoppe-Deraedt. 25 eur.

W. JENNIGES, *Mystagogus Lycius. De historia linguaque Lyciorum*

De Lycia, æqualibus nostris parum nota, conspectus historicus et linguisticus, auctore viro linguarum orientalium peritissimo. 7,5 eur.

G. LICOPPE, *Portus Itius*

In quo agitur de Portu Itio, ubi re vera fuerit, ac de Cæsar's navigatiibus in Britanniam. 15 eur.

J. CAPART, *Makita*, in Latinum vertit Francisca Deraedt

De antiqua Ægypto fantastica fabula romancia (de historia cuiusdam muris tempore pharaonum), conscripta a quodam clarissimo Ægyptologo. 12,5 eur.

G. LICOPPE, *Le latin et le politique. Les avatars du latin à travers les âges*  
Adumbratio historiæ linguae Latinæ, quæ ab antiquis usque ad nostra tempora numquam voluit mori. 10 eur.

I. GOTTHELF, *De Aranea nigra*, in Latinum vertit Nicolaus Gross  
Duplex fabula, partim festiva, partim terrifica, qua præclarus poeta Helvetius narrat vitam agricolarum temporum præteriorum. 10 eur.

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 15 eur. / 20 \$

BNP Paribas Fortis : 001-6287115-39

BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539

